

Lib. 2. de
gemmis c.
19. p. m.
230.

pauci. *Franciscus* certè *Rueus Insulanus Flander*, majores omnino meruisset gratias, si & inter gemmas corallium, & sequentia non posuisset: *Corallium* & *lithodendrum* appellari invenio, quod arboreus lapis adpareat. In mari mollius primùm crescit, inde verò duratur. Cumq; sub aqua quidem vireat, statim atq; hanc superavit, rubescit. Et mox: *Diversam*, ait à ferro ignito, naturam, corallium exhibet: Illud namq; ut aqua, ita & hoc molliore aëre illicò duratur. Credita hæc per annorum, quin imò seculorum decursus plurimos fuere. Et mirari liceat, exercitatum Virum *Dioscoridem* in eodem pertinaciter hæsisse luto, lib. 5. c. 139. Veruntamen quam hæc & similia mereantur fidem, docebimus non ex *Poetis*, *Plinio* item & facile credulis, sine ratione, mentibus; sed verò optimis rei hujus scrutatoribus & testibus, asserta communiemus nostra.

§. VI. Generosus Dominus, JOH. BAPTIST. de NICOLE, *Eques Marsiliensis, & Regius, Piscatoris Coralliorum*, in regno *Thunetano* *Præfectus* bonâ confirmavit fide: Quòd, cum anno M. D. LXXXV mense julio, in mari *Bizertino*, regni *Thunetani*, piscationem instituisset: cupiditate naturæ coralliorum in vestigandæ ductus, juvenem, funibus sufficienter longis, alligatum, & pondere viginti quinque librarum in utraque manu, ad descensum tutiorem & commodiorem libratum, in mare istud, centum perticas profundum demiserit, ipsiq; in mandatis dederit: corallium evelleret, & inter evellendum, curiosè attenteq; observaret; mollene an durum esset? Qui ubi rursus ascendisset, utraq; manu coralli rami attulerit, constanterq; asseruerit: Illud non minùs sub mari, quàm supra illud, durum esse: seque cum ad octo perticas, aut circiter prope fundum maris adpulisset, magnam ibi frigoris vim sensisse. Immo, quod ipsemet etiam, dum relationi fidem adeò non haberet, in mare, cum retia, quibus coralia piscari solent, extrahenda essent, antequàm in ipsum aërem efferrentur, ad profunditatem unius perticæ, sese immerferit, & corallium retibus adhærens, manu prehenderit, idq; tum æquè durum, ac cum jam aëri externo esset expositum, observârit.

§. VII,